

367. Hostia, & Calix à fulmine tacta venenata censeri, vult Gavantus.

SANGUIS,

368. **S**I congeletur in Calice, Calix pannis calidis involvatur; quod si non possit, ponatur in aqua ferventi propè altare, donec liquefiat, ita ut intra Calicem non intret aqua.

Si verò liquefieri nequeat, aut ignis haberi non possit, digito comminatur, & assumatur.

369. Si vinum congeletur ante consecrationem, debet mutari; quod si aliud liquefactum commodè haberi non possit; tunc Sacerdos, si ad Canonem non pervenerit, Sacrum omittat, ne inconsuetam materia utatur; & si opus sit, populum de defectu moneat ad ejus offensionem vitandam. Si verò inceptus sit Canon, prosequatur (ait Tamb.) quia Canone incepto, censetur inceptum substantialiter Sacrum, nam probabilis est, tale vinum esse aptam materiam consecrationis, uti ex natura sua potabile. Ita Tamb. At dico, quòd Sacrum omittat, uti tutius, ob dicta n. 199. & in tom. 1. n. 85.

370. Aqua verò congelata pro certo non est apta materia Baptismi, quia non potest facere lotionem, quæ est ejus materia proxima.

371. Si Sanguis cadit in tabulam, quæ terræ adhæret, tabula lingua lambatur, & radatur: Si in terram, radatur; semper autem quod abraditur, debet comburi, & cineres debent in Sacrum mitri: Si supra lapidem altaris, Sanguis sorbeat à celebrante, lapis lavetur, & ablutio in Sacrum mittatur: Si supra linteum, aut corporale, ter supra Calicem lavetur, & ablutio, aut fumatur, aut in Sacrum projiciatur. Idem fiat, si supra tapetum pedibus substratum; & tunc non est obligatio eas partes comburendi.

372. Pœnitentiæ autem in his casibus à sacris Canonibus impositæ non sunt in usu, sed hujusmodi negligentes debent à Superiore puniri.

HOSTIA,

373. **A**UT fragmentum, si cadat in terram, lignum, aut aliud simile solidum; accipiat, locus ablutio cum spongia mundetur, aliquantulum abradatur, & lotio, & abrasio in Sacrum mittatur.

374. Si cadat in mappam, quodlibet linteum, pannum, &c. illud lavetur, & lotio in Sacrum mittatur.

375. Lotio ex casu Sacræ Hostiæ fieri potest à Clerico, vel Sacrila. Lotio verò ex effusione Sanguinis non nisi à Sacerdote, & in ejus defectu, à Diacono.

376. Si fragmentum cadat in partes interioris vestis mulieris; mulier ipsa modestè curet invenire, & supra eandem vestem Sacerdoti porrigat; vel ipsa propriis digitis accipiat, in pyxidem mitat, digitos lavet, & lotionem in Sacrum projiciat. Quòd si

non inveniatur, Sacerdos fragmentum Deo commendat, & Sacrum prosequatur. Si verò cadat supra pectus mulieris; mulier ipsa modestè lavet. In quibus, & similibus casibus prudenter Tamb. advertit, meliùs esse vitare turbationem fidelium, quàm Rubricarum apicem ejusmodi cautelae precipientem observare: casus namque, in quo adest fidelium turbatio, est à Rubricis exceptus.

377. Hinc (ait idem) si solus Sacerdos parvi fragmenti casum advertit, & probabiliter prævidet notabilem mulieris turbationem, aut stantium offensionem (quod quidem regulariter adest) si de fragmenti casu mulier advertatur, nihil dicat Sacerdos, sed id Deo commendat.

378. Si Sacerdos Hostiam evomat, & species integræ apparent; si non sit nausea, fumantur; si cæcus, in loco Sacro conserventur, donec siccentur, & corrumpantur, & tunc corruptæ sunt comburendæ, & cineres in Sacrum mittendi: si verò species non appareant, & corruptæ judicentur, totus vomitus comburatur, & cineres in Sacrum projiciantur.

379. Denum, si Sacerdos post sumptionem advertit, species à se sumptas, fuisse infectas veneno, tunc solum potest licitè vomitum provocare, & ut supra se gerere.

380. Quòd si Sacerdos deficiat, dum sacrificat, tunc si id ante consecrationem contingat, relinquendum est Sacrificium, quia non est substantialiter inchoatum: si verò post consecrationem, etiam solius panis; tunc, vel eodem die, etiam post sex, aut septem horas, vel sequenti die debet Sacrificium perfici ab aliquo Sacerdote, qui Hostiam dividat; & Sacerdoti deficienti, si non obierit, sed infirmus fuerit, & communicare poterit, unam partem sumendam tradat.

CASUS:

381. Dum Sacra. Moniales communionem suscipiunt, subitaneus ventus plures particulas, à Sacra pyxide rapit, & per ostium intus Capellam interiori sparsit. Quid agendum?

Resp. Tunc Sacerdos, animo sibi dato, pyxidem claudat; & statim curet, ut particula ab ipsis Sacris Virginibus, etiam propriis digitis accipiantur, & intra pyxidem reponantur: Vel ut fumantur propria lingua ab aliis, si aliæ sint communicaturæ: Vel omnes ab eadem, quæ communicavit, fumantur, si aliæ non sint, & priores duo modi commodè practicari non possunt; maxime si sint sparsa fragmenta. Deinde eadem pavimentum spongiis lavent, ut in num. 375.

Agunt de Sacrif. Missæ Scotus quodl. 20. in 4. d. 5. quest. 2. lit. L. disp. 17. quest. 2. M. Maltrius disp. 19. quest. 3. art. 4. & 5. Leander de Sacram. trad. 7. & 8. Joan. la Cruz pag. 351. Tamb. in Meth. Cel. Missæ. Arfdekin in tom. 2. pag. 256. Gobat tom. 1. tr. 3. Ant. à Spir. S. de Sacram. trad. 7. Fagnanus lib. 3. Fenece. Mendo, Alloza, verb. Missæ.

FOR-

FORMULA DIMISSORIARUM pro Regularibus,

382. Qua plures ulus sum, in qua practican- tur doctrina tradita; num. 29. 30. 34. 35. & 84.

Fratr NN. Ordinis NN. Dilecto nobis in Christo Jesu

AD Excellum Presbyteratum Ordinem eos Religiosos promovere muneris nostri ratio expolcit, quos laudabiliter, & devotè in inferioribus jam constitutos versatos fuisse noverimus. Propterea tibi præmemorato N. N. in saculo nuncupato N. N. (ætate legitime prædito.) Vel (si adest dispensatio super ætate) (Cui de benignitate Apollolica, ob eximiam tui devotionem, & nostræ Ecclesiæ necessitatem, per Breve datum Romæ die N. Mensis N. Anno N. fuit dispensatum per tredecim menses super ætate à Sacro Conc. Trident. requisita.) Nulloque Canonico impedimento interdicto, Sacro Diaconatus Ordine insignito, in susceptis Ordinibus exercitatio, probis, honestisque moribus, ac literaria disciplina condecorato, cæterisque per Trident. Concilii Sanctiones, Summorumque Pontificum De-

creta requisitis exornato, atque exercitiis spiritualibus (testimonio Nobis factò) jam peractis: Præsentium virtute, cum salutaris obedientiæ merito facultatem elargimur, ut ad Illustris. & Reverendiss. N. Episcopum (in cujus Diocesi de familia commoraris) & eo Ordinationem non habente, ad quemlibet alium Antistitem accedere valeas, Sacro Presbyteratus Ordine decorandus. Ipsumque obnixè rogamus, ut tecum super interstitiis, ob nostræ Ecclesiæ necessitatem, dispensare dignetur. Vale. Et Angelus Domini sit in itinere tuo. Datum, &c.

383. Hinc habes, Prælatum Regularem debere primo loco suum subditum ad Episcopum Diocesis mittere, in cujus Diocesi de familia commoratur, vel ad Episcopum viciniorem, si erit in loco nullius Diocesis, & eo absente, aut Ordinationes non habente, tunc potest ad quemcumque alium Episcopum suum subditum mittere. Hæc sunt dispositio à S. Cong. Conc. die 15. Martii 1599. & die 11. Junii 1638. juxta mentem Trid. sess. 23. de Reform. cap. 8. quæ Doctr. refert P. Augustinus Matthæi in Offic. Curie, verb. Ordines, à num. 4.

PARS SECUNDA.

EXAMEN PRÆDICATORUM.

CAPUT I.

DE CAUSA EFFICIENTE SACRÆ CONCIONIS.

QUIS PRÆDICARE DEBEAT.

384. **A**D Apostolicum sacra prædicationis munus ritè exercendum tria necessariò requiruntur, quorum altero deficiente, nemo prædicare debet.

Primum est irreprehensibilis Vita; quia (teste Tullio) Caput est artis, dicere, quod facis. Hinc D. Hier. ad Nepotianum scribens, ait: Non confundant opera sermonem tuum, ne cum in Ecclesia loquaris, tacitus quisque respondeat: cur hæc quæ dicis, ipse non facis?

385. Secundum est solida Scientia: ut saltem omnia, quæ pertinent ad Mysteria fidei; mendata Dei, & Ecclesiæ, vitia, & virtutes, hæreses, atque erroneas opiniones dignoscere, ac enucleare calleat; quod satis apte præstabis, si priores tomos hujus operis familiares habebis.

Tertium est legitima Missio: nimirum ut à Prælato, ad quem spectat, sit tibi commissum, vel saltem concessum; nam, ut inquit Apostolus ad Rom. 10. Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Vide Bull. Clem. X. Superna 1670. in tom. 1. verb. de Approbatione Confessarii.

CAPUT II.

DE CAUSA FINALI.

PRÆDICATORIS FINIS.

386. **E**SSE debet, ut peccatores peccato mortui ad vitam per penitentiam revocentur; & ut justis, qui charitate vivunt, abundantius vita fruantur, juxta illud Joan. 10. Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant.

CAPUT III.

DE CAUSA MATERIALI.

387. **P**rædicationis materia est verbum Dei: Prædica verbum, dixit Apost. ad Tim. 4. Consilite autem hæc verbi Dei prædicatio (ut suos fratres monet Seraphicus P. S. Franciscus) in annunciando vitia, & virtutes, panam, & gloriam. Quibus rebus fulciri debent verbum Dei, & quo ordine

388. **C**UM verbum Dei prædicamus, firmis doctrinis fulcire dicenda debemus, ut audientium corda movere possimus. Primum ful-

Bbbb

ci.

cimentum est *Authoritas Sacra Scriptura* in aliquo ex quatuor sensibus interpretata (ut infra) pro cuius interpretatione Sanctorum Patrum instrumentis uti necesse est, ne in errorem incidamus. Unde secundum fulcimentum esse debent *sententia Sanctorum Patrum*, & *Conciliorum*. 3. *Rationes*. 4. *Similitudines*. 5. *Exempla*.

DE SACRA SCRIPTURA.

389. **S**acra Scriptura, cuius Author est Spiritus Sanctus, duas habet partes, Veteris scilicet, & Novum Testamentum. Utrumque subdividitur in quatuor partes, in libros nempe Legales, Historiales, Sapientiales, & Prophetales. In Veteri Testamento Legales sunt quinque libri Moyses, videlicet, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium. *Historiales* sunt decem in Veteri Testamento dispersi. *Sapientiales* sunt quinque, Proverbia, Ecclesiastes, Cantica Canticorum, Sapientia, & Ecclesiasticus. *Prophetales* sunt sex, quatuor Propheta maiores, Isaias, Jeremias, Ezechiel, & Daniel. Liber duodecim Prophetarum, & liber Psalmorum.

390. In Novo Testamento libri Legales sunt quatuor Evangelia. *Historiales* sunt Actus Apostolorum, Sapientiales Epistola Apostolorum, & tandem Prophetales, Apocalypsis B. Joan. Apost. Qui omnes libri numerantur à Conc. Trid. sess. 4. & secundum Vulgatam D. Hier. sunt de fide tenendi; translatio verò Septuaginta Interpretum non est de fide; est tamen maioris auctoritatis, quam aliorum translatio.

391. Libri Sacra Scriptura dicuntur Canonici, quia continent Regulam, quam sequi debemus in materia fidei, & morum, & quia sunt relati, & à Sancta Ecclesia recepti inter Catalogum librorum Divinorum, seu à Deo inspiratorum, Canon enim regulam significat, & Catalogum. Libri autem Canonici ex Dec. Trid. sess. 4. sunt Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Josue, Judices, Ruth, quatuor libri Regum, duo Paralipomenon, duo Esdrae, Tobias, Judith, Ester, Job, Psalterium, Proverbia, Ecclesiastes, Cantica, Sapientia, Ecclesiasticus, quatuor majores Prophetae, duodecim minores, duo libri Machabæorum. Hi ex Veteri Testamento: Ex Novo verò, Quatuor Evangelia, Actus Apostolorum, quatuordecim Epistola Pauli, tres Joannis, dua Petri, una Jacobi, una Jude, Apocalypsis Joannis. Adeoque qui præfatos libros pro Sacris, & Canonicis, seu à Deo inspiratis non susceperit, aut qui aliquam veritatem in illis contentam, v. gr. *In principio creavit Deus Cælum, & Terram*, negaverit, erit hæreticus. Alii duo libri, nempe tertius, & quartus Esdrae, non sunt ab Ecclesia recepti pro Canonicis; sunt tamen magnæ auctoritatis, quoniam à nonnullis Sanctis Patribus citantur; & à Sixto V. in Sacris Bibliis post libros Canonicos unâ cum oratione Manasse fuerunt appo-

DEFINITIO.

392. **S**acra Scriptura est: *Liber vite scriptus intus, & foris*. Ita Lyranus noster in Prologo, quæ definitio est desumpta ex illo Apocalypsis, cap. 5. *Et vidi in dextera sedentis supra thronum librum scriptum intus, & foris*.

Dicitur *Liber vite*, quia vitam tribuit eam benè exponentibus, & operibus exequentibus, juxta illud Ecclesiastici, cap. 24. *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt*. Dicitur *scriptus intus, & foris*, ut per ly *intus* significetur sensus spiritualis, & per ly *foris*, sensus literalis.

393. Sensus Sacra Scripturae est ille, qui est intentus à Spiritu Sancto, qui est Author, & causa principalis Sacra Scripturae prædeterminans saltem moraliter Sacros Scriptores, qui sunt causa minus principalis.

DIVISIO.

394. **U**nde sensus Sacra Scripturae in prima sui Divisione est duplex, *Literalis, & Spiritus*, seu mysticus. *Literalis* est illa significatio prima, quæ voces significant res, ad quas significandas sunt impostæ, ut Deut. cap. 6. *Audi Israel Dominus Deus noster, Deus unus est*. *Spiritalis*, seu mysticus, & metaphoricus est illa significatio, quæ res per voces significativæ rursus significant per similitudinem, & figuras; ut Matth. 5. *Si manus tua scandalizat te, abscinde eam, & projice abs te*. Ubi per manum abscindendam intelligitur amicus, qui scandalum affert, & est causa ruinae, cujus familiaritatem homo debet abscindere à se; unde sensus literalis à mystico differt per hoc, quod in literali significatio attenditur à voce, in mystico verò, à re.

395. Sensus *literalis* est duplex, historicus, & parabolicus. *Historicus* est ille, quo aliqua significatur historia, ut præsertim in libris Regum, & Machabæorum contingit. *Parabolicus* est ille, quo aliqua significatur parabola, seu comparatio, ut patet in Evang. de Patrefamilias. Sensus *mysticus* est triplex, Allegoricus, Tropologicus, seu Moralisticus, & Anagogicus.

SUMMA DIVISIONIS.

396. **H**inc summatim sensus Sacra Scripturae sunt quatuor, nempe, *Literalis, Allegoricus, Tropologicus, & Anagogicus*, qui sensus explicantur his verbis:

Litera gesta docet; quid credas, Allegoria.
Moralis, quid agas; quò tendas, Anagogia.

Sensus igitur *Literalis* res accipit, prout verba ipsa significant. Sensus *Allegoricus* ostendit nobis, quid sit credendum, quia tendit circa credibilia, dicitur *Allegoricus* à nomine Græco *Allo*, quod est *alienum*, & à *Logos*, quod est *Sermo*, quasi sit alienus sermo ab eo, quem voces sonant. *Tropologicus*, seu moralisticus quid agendum, quia attendit circa moraliter agenda: dicitur *Tropologicus* à nomine Græco *Tropos*, quod est *Converso*, & à *Logos*, quod est *Sermo* quasi sit sermo

con-

conversus ad animæ adificationem, & morum informationem.

Anagogicus demum, quid sit sperandum, quia tendit circa speranda in æterna beatitudine. Dicitur *Anagogicus* à nomine Græco *Ana*, quod est *sursum*, & *goge*, quod est *ductio*, quasi quod sit sursum ductio, seu locutio de terrenis, quibus significantur celestia.

EXEMPLUM:

Hierusalem

397. **I**n sensu literali significat Civitatem Judææ: In Allegorico, Sanctam Ecclesiam militantem à nobis credendam juxta illud Apoc. 21. *Vidi Civitatem Sanctam Hierusalem novam descendentem de Cælo à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo*. In Tropologico significat animam nostram sanctis operibus, & virtutibus ornandam, juxta illud Jeremias cap. 1. *Hierusalem, Hierusalem, convertere ad Dominum Deum tuum*. In sensu denique Anagogico significat Ecclesiam Triumphantem, nempe Patriam Celestem à nobis sperandam, juxta illud Pauli ad Galatas 4. *Illa, quæ sursum est Hierusalem, est libera, quæ est mater nostra*.

SENSUS ACCOMMODATIVUS

398. **E**st, quò quis Sacram Scripturam propria mentis sensu accommodat.

Sic orator in nova electione Ducis cujusdam Reipublicæ, cui nomen erat *Prosper*, usus est versu Psalm. 44. *Intende, Prospre, procede, & regna: utendo æquivoco Adverbii in Nomen*. Et alius, ad exprimendam Principum conventionem circa Monarchiæ Hispaniæ partitionem, & Dei inexpectatam Providentiam in ea conservanda incolumi, cum constitutione Regis, usus est illo Psalm. 2. *Qui habitat in Cælis iridebit eos*. Ego autem constitutus sum Rex ab eo. At Sacer Orator abstinere debet à sensu accommodativo, qui non sit sensus virtutis, & unus ex quatuor.

QUÆRES:

399. **A**n in omnibus locis Sacra Scriptura reperiri possint omnes quatuor sensus?

Resp. negativè, in multis enim locis solum reperi potest sensus literalis, nullo pacto mysticus, ut in illo: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Et in illo alio: *Dominus Deus tuus unus est*, qui sensus est solum literalis, non mysticus.

E contra in multis locis solum reperi potest sensus mysticus, nullo modo literalis, ut in illo Judic. cap. 9. *Serunt ligna, ut ungerent supra se Regem*: qui sensus nullo modo potest esse literalis, sed solum mysticus; nam per ligna intelliguntur habitatores Urbis Sichen, qui constituerunt Abimelec supra se Regem, ut in eodem textu exponitur. Similiter in hoc alio loco: *Inveni hominem secundum cor meum*. Ubi ly *Cor* non potest sumi literaliter; quia Deus non habet cor; sed mysticè, per voluntatem. Et in illo Psalm. 78. *Comederunt Jacob, & locum ejus desolaverunt*: ibi non potest haberi sensus literalis, quod

scilicet Jacob, & locum ejus comederint, sed mysticus, & metaphoricus, nimirum, quòd Jacob, & locum ejus deprædatis sint.

Tandem multa loca habere possunt omnes quatuor sensus, ut in Gen. cap. 16. dicitur, quòd Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & alterum de libera: ubi per duos filios Abraham in sensu literali denotantur Isaac, & Ismael: Isaac vir bonus, filius Saræ uxoris Abraham; & Ismael homo ferus, filius Agar ancillæ Saræ. In sensu Allegorico per duos filios significantur duo Testamenta, ut exponit Apost. ad Galat. 4. Ismael enim *vetus significat*, Isaac verò *Novum*. In sensu Morali, seu Tropologico significari possunt duo filii spirituales unius Prælati quorum unus, ut Isaac proficiat: alter ut Ismael à perfectione deficiat. Et demum in sensu Anagogico per duos filios significari possunt Angeli quorum multi steterunt, & sunt boni; multi ceciderunt, & sunt mali.

DE QUATUOR CONCILIIIS.

400. **C**oncilia Oecumenica, videlicet Generalia, & Universalia ad totum Orbem Christianum pertinentia, à Sede Apostolica approbata, & ab Ecclesia recepta hucusque sunt decem, & octo Tridentino incluso, quorum principaliora sunt prima quatuor, quæ ad authenticandam, stabilendamque fidem, quam Sacra Scriptura prædicat, convenerunt.

401. Primum est Nicanum, quod celebratum est ab anno Domini 325. usque ad annum 330. sub Sylvestro Papa, & Constantino Imperatore, ubi convenerunt Episcopi 318. numero quidem sacro, quia longè antè figurato in Sacra Scriptura in illis 318. Militibus, quibus Abraham victoriam de quinque Regibus reportavit. In hoc Concilio damnata fuit hæresis Arii, inæqualitatem inter Divinas Personas ponentis, asserentis filium creaturam. Unde Concil. Filium consubstantialem Patri constituit, & proinde Symbolum fidei ab Apostolis editum, deinde confluit addendo illam particulam: *Consubstantialium Patri*; statuitque, ut post hymnum glorificationis, qui est *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, adderetur *sicut erat in principio, & nunquam, & semper, & in sæcula, factum, Amen*.

402. Secundum est Constantinopolitanum, quod est celebratum anno Domini 383.

Damaso Summo Pontifice, & Theodosio Seniore imperante, ubi convenerunt 150. Patres, cui Concilio interfuit S. Hieronymus contra Macedoniam negantem Spiritum Sanctum esse Deum.

403. Tertium est Ephesinum, quod celebratum est anno Domini 434. sub Celestino Papa, & Theodosio Juniore Imperatore, ubi convenerunt 220. Episcopi. Causa Concilii fuit hæresis Nestorii Episcopi Constantinopolitani duas Personas in Christo admittentis, ac proinde unitas sub accidentalit ratione, nempe per affectum, qui error fuit damnatus, & sancitum, in duabus Christi naturis unam;

manere Personam, nempe Verbi, adedque duas naturas, Divinam, & Humanam esse unitas substantialiter in ratione substantiali hypostasis, seu Personæ; & ex tunc in salutatione Angelica additum fuit: *Sanc-ta Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, &c.*

404. Quartum est Calcedonense, quod celebratum est anno 451. vel 454. sub Leone Papa, Valentiniano, & Martiano Imperatoribus, ubi conveniunt 630. Episcopi contra omnes hæreses, præsertim contra Eurychem Constantinopolitanum Archimandritam, in Christo unam naturam asserentem, & ejus defensorum Dioscorum Alexandrinum Episcopum, ubi illi condemnati fuere cum aliis hæreticis, & definitum, sic Christum de Virgine natum, ut duæ naturæ, Divina, & Humana secundum substantiam realiter distinctæ, & impermixtæ remanserint, unitæ solum in unitate Personæ Verbi; ita ut Christus verus Deus sit, & verus Homo.

405. Præmissa quatuor principalia Concilia Ecclesia Sancta tanquam quatuor Evangelia amplectitur, & veneratur cum D. Gregorio in *cap. Sicut, dist. 175. De Conciliis eruditè agit Bellarminus tom. 1. contr. 4.*

DE SS. PATRIBUS.

406. Ad explanationem Sacræ Scripturæ, & confirmationem doctrinæ, quam prædicamus sententiis Sanctorum Patrum, & aliorum Scrip-torum Ecclesiasticorum uti debemus, quantum ad omnia ea, quæ ab Ecclesia universali sunt approbata, & communiter recepta; inter quos præcipuè elucet Hieronymus in sensu literali, Ambrosius, in Allegorico; Augustinus, in Anagogico; Gregorius, in Morali.

407. Semper autem sunt attendendæ Romanorum Pontificum sanctiones, etiam si doctrinæ sint Augustini, nam de fide est, non Augustinum, sed Romanum Pontificem ex Cathedra loquentem errare non posse in materia fidei, aut morum. Hinc Augustinus ipse ait, cont. epist. fun. *Non crederem Evangelio, nisi quia Ecclesia Catholica credo.* Imò super quamplurimis doctrinis Sanctus sanctè se retractavit, pro quo librum Retractionum construxit. Adde, præfatos Sanctos Patres in aliquibus discordare, quæ Ecclesia permittit, quatenus nec contra fidem, nec contra bonos mores redundant. *Vide in tom. 1. prop. ab Alex. VIII. dam.*

408. Quando autem inter se Patres, & Doctores discordant, liberum est nobis sequi, quem volumus; abstinendum tamen est ab aliis opinionibus, quæ possunt controversari, & repelli; quia non ad disputandum contra Patres, & Catholicos Doctores, sed ad populum erudiendum, pergulam ascendimus. Hinc Sacram Scripturam contra eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, aut contra unanimum Patrum consensum, prout Tridentina Synodus cavet, prædicatori nullo modo ad suos sensus contorquere licebit: Si verò aliquam novam interpretationem ab Ecclesie sensu, Sanctorumque Pa-

trum sententiis non alienam, ad fidei Catholicæ doctrinam illustrandam, vel ut pietatis studium excitet, aliquando asserere voluerit, aliquid brevi præfabitur, quo id sibi licere humiliter petet. *Vide num. 398.*

Sententiæ tamen SS. PP. postquam latinè prolatae fuerint: vulgari idiomate vertendæ sunt ad erudiendam plebem.

409. Nec parvipendenda est autoritas Philosophorum, illorum inquam, qui non solum naturam, vim, & effectus, verum etiam morum, & vitæ normam investigaverunt, idque magna ex parte sunt consecuti, ut fuerunt Plato, Aristoteles, Seneca, Tullius, & alii, istis enim usi sunt quoque SS. PP. in suis concionibus ad majorem perditorum fidelium confusionem.

DE RATIONIBUS.

410. Postquam autoritatibus probata fuerit propositio, consequens est illam fulcire rationibus, quas vel Doctores, vel ipsum ingenium dare possunt. Rationes autem deducendæ veniunt à locis communibus, videlicet,

1. A definitione. Definitio est, quæ explicat naturam rei definitæ, vel per proprium genus, & propriam differentiam, quæ est propriè definitio; vel per alia additamenta, quæ tamen non possunt alteri convenire; & hæc vocatur Descriptio. Exemplum hujus loci dat D. Gregorius Nilfen. qui ut auditores excitaret ad gratias Deo agendas, sic hominem definit: *Homo est opus Dei ratione præditum, ad ejus, à quo creatum est, imaginem factum.*

Utitur etiam Ecclesiasticus Orator definitionibus à sensibus hominum ductis, ut est definitio, quam asserit Jacobus Apost. cap. 4. vers. 14. cum dicit: *Quæ est vita vestra: vapor ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.*

Interdum etiam alienis à vulgari loquendi consuetudine: quomodo D. Basilii in oratione ad divites, postquam eorum exultationem proposuit, deinde argumento à definitione sumpto redarguit, dicens: *At te ipsum pauperem esse dicit, & ego assertior: pauper enim est, cui multa desunt: ut multis autem rebus indigeas, insatiabilis habendi cupiditas est.*

2. A partium enumeratione ducitur argumentum, quando enumeratis aliis rebus, quæ possent ad rem facere, præter illam ab Oratore propositam, non invenitur, quod quæritur. Exemplum habetur in Ecclesiastice Salomonis ad probandum, quod omnia vanitas. Item in Prophetia Jeremiæ, cap. 9. ubi ostenditur in solo Deo gloriamdam, enumeratis rebus, in quibus homines gloriari solent his verbis: *Non gloriatur sapiens in sapientia sua, & non gloriatur fortis in fortitudine sua, & non gloriatur dives in divitiis suis; sed in hoc gloriatur, qui gloriatur, scire, & nosse me: quia ego sum Dominus.*

3. Ab Etymologia sumitur, declarando rem ex vi, & natura nominis, quo res quæque prædita est. Exemplum dat S. Hieron. qui scribens ad Heliodo-

rum

rum Monachum hoc utitur argumento: *Interpretare nomen Monachi: hoc est nomen tuum: quid igitur facis in turba, qui solus es!*

4. A Conjugatione. Conjugata dicuntur ea, quæ ab uno orta variè commutantur, quorum usus est frequens: v. gr. *Si Christiani sumus, Christianè vivamus.* Exemplum etiam præbet Apostolus: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de Cælo Cælestis, sicut portavimus imaginem terreni, portemus imaginem Cælestis.*

5. A Genere, & Specie: A genere potest argumentari ad speciem, v. gr. *Vitium est fugiendum, igitur fugienda est avaritia.* Item è converso à specie ad genus: v. gr. ad probandum, peccata miseros homines efficere, sic constructi argumentum potest: *Adultorium, homicidium separant à Deo, quæ est maxima miseria: igitur peccata miseros homines efficiunt.*

6. A simili sit argumentum ex comparatione unius rei cum altera, quo in aliquo assimilantur: v. gr. *Sicut vita naturalis illius agrari desperatur, qui naturalia medicamina spernit, ita vita gratie desperatur peccatoris, qui spiritualia medicamenta contemnit.*

7. A Dissimili etiam sumitur argumentum per dissimilium comparationem: Exemplum habetur in libro Prov. cap. 4. ubi dicitur: *Iustus autem semina, quasi lux splendens procedit, & crescit usque ad perfectam diem: via impiorum tenebrosa.*

8. A Contrario. Quatuor secundum Ciceronem sunt contrarii generis: *Adversa, Privantia, Relativa, & Contradictoria*, à quorum singulis potest Ecclesiasticus Orator suum ducere argumentum.

9. Ab Adversis. Adversa sunt ea, quæ sunt positive opposita, seu contraria, ut *Superbia, & Humilitas, Jejunium, & Crapula, &c.* Unde ab Adversis poterit sic argumentari: *Superbiam omnium peccatorum matrem esse scimus: humilitatem ergo omnium fundamentum virtutum inseltemur.*

10. A Privantiis. Privantia sunt illa, quæ privativè opponuntur, ut forma, & ejus carentia in subiecto apto nato ad illam habendam. Ita *Gratia*, quæ appellatur lux, privativè potest intelligi opposita peccato, quod vocatur tenebra: Unde sic potest formari argumentum: *Sicut lux gratia est amanda, ita tenebra peccati est fugienda.*

11. A Relativis. Relativa illa sunt, quorum unum refertur ad aliud, ut *Pater, & Filius, Dominus, & Servus*: Exemplum hujus argumenti à relativis habetur in Malachia cap. 1. his verbis: *Filius honorat patrem, & servus dominum suum, si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? & si Dominus ego sum, ubi est timor meus?*

12. A Contradictoriis. Contradictoria, seu Contradictoria ea sunt, quorum unum negat illud, quod alterum affirmat: ut *scire, & non scire*: à contradicentibus igitur potest hoc modo Orator ducere argumentum: v. gr. *Qui Christum diligit, mandata ejus servat: igitur qui ejus mandata non servat, Christum non diligit.*

13. Ab Adjunctis. Adjuncta dicuntur ea, quæ cum rebus, vel personis quoquo modo sunt conjuncta, sive inseparabiliter: ut sunt proprietates, & attributa: sive separabiliter, ut locus, tempus, vestitus, comitatus, apparatus, colloquia, velocitatis in incessu, rubor vultus, pallor, & alia, quæ rem magis expriment, & actiones; aut meliores, aut deteriores efficiunt. Hoc loco usus est S. Basiliius, serm. de Sejuno, dicens: *Sejunianus color gravitatis plenus est, non in impudentem ruborem efflorescens, sed pallore modesto ornatus, placidus, & lenis oculus, sedatus incessus, vultus animi secum loquentis index, nulla intemperamentis risus insolentia, moderatio lingue, & cordis puritas, &c.*

14. Ab Antecedentibus argui potest deducendo consequentias, quæ ex illis necessariò sequuntur.

Exemplum: Dicit Apost. 1. ad Cor. cap. 13. *Quod charitas patiens est, benigna est, charitas non emulatur non agit perperam, non inflatur, &c.* igitur qui est charitate præditus, patiens est, benignus est, &c.

15. A Consequentibus. Non instructuosum erit à consequentibus etiam probare antecedentia, hunc enim locum adhibuit ipse Christus in Evang. Matth. cap. 5. ubi à consequentibus probat: *Beatus esse pauperes spiritu, quia ipsorum est Regnum Cælorum: Item Beatos mites, quoniam ipsi possidebunt terram, &c.*

16. A Repugnantibus. Repugnantia differunt à contrariis, & dissimilibus, eò quia ista aliquid ordinem servant inter se, illa verò neque aliqua certa lege, neque ordine inter se opponuntur: sic repugnare dicuntur fatum cum hominis libertate, invidia cum charitate, crudelitas cum deliciis, hæc loco usus est D. Ambrosii in serm. de Decoll. S. Joan. Bapt. ubi ait: *Postremò (quod etiam omnes barbari horrere consueverunt inter epulas, atque convivium consumenda crudelitate profertur edictum, &c. & infra: Quid crudelitati cum deliciis) quid cum fœneribus voluptu? &c.*

17. A Causis. Quoniam quatuor sunt genera causarum, Materialis scilicet, ex qua res est: *Formalis*, per quam res est: *Efficiens* à qua res efficitur: & *Finalis*, cujus gratia omnia fiunt; hinc à singulis poterit Ecclesiasticus Orator suum elicere argumentum, ut infra.

18. A causa Materiali. Quia è limo terræ formati sumus, S. Basiliius in opusculo: *Attende tibi* hunc locum ita expressit, dicens: *Exultas ob divitias, & ob majorum tuorum nobilitatem te jactas, & propter patriam, & pulchritudinem corporis attende tibi ipsi, quod mortalis es, quod terra es, & in terram revertentis.*

19. A causa formali, ita arguit D. Bernardus: *O anima insignita Dei imagine, decorata similitudine, redempta Christi sanguine, desponsata fide, dotata spiritu, deputata cum Angelis, capax beatitudinis, quid tibi cum carne?*

20. A causa efficiente, adhibet exemplum Regius Psalmista. Psal. 93. dicens: *Qui plantavit aurem non audiet? aut qui fingit oculum, non considerat? Probans*

bans per hoc, Deum humana curare.

21. *A causa finali* sic argumentari poterit Orator: *Homo ad consequendam æternam beatitudinem est formatus: sicuti igitur, qui in temporalibus deliciis, in divitiis, in honoribus beatitudinem collocant.*

22. *Ab affectibus.* Sicut quatuor sunt genera caritatis; ita quatuor genera effectuum, qui ex illis caulis oriuntur. Ab hoc loco ostendit Christus Joan. cap. 10. se esse bonum Pastorem, dicens: *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis; mercenarius autem videt lupum venientem, & fugit; quia mercenarius est, &c.*

23. *A comparatione* ducitur argumentum, quando arguitur, vel à majori ad minus, vel à minori ad majus, vel à pari.

24. *A majori ad minus* usus est D. Hieron. scribens ad Heliodorum his verbis: *Filius hominis non habet, ubi caput suum reclinet: & tu amplas porcinas, & ingentia testorum spatia metris?*

25. *A minori ad majus* arguit D. Basilus in orat. ad divites: *Mare novit terminos suos, nox non transgreditur antiquum terminum descriptionem: ac verò avarus non veterat tempus, non statuit terminum, non concedit consequentiam successionis, sed ignis violentiam imitatur, omnia corrumpit, omnia deficiunt.*

26. *A pari* concinnè S. August. in quodam serm. his verbis: *Et nos, & omnis populus unius Domini servi sumus, & si bene agimus, ad unam beatitudinem pariter pervenimus; & quare pauper tecum non capiet cibum, qui tecum acceptus est Regnum? quare pauper non accipiat, vel veterum tunicam, qui tecum receptus est immortalitas solam? quare pauper non meretur panem tuum, qui tecum ad convivium invitatus est Angelorum?*

DE SIMILITUDINIBUS.

411. **S**imilitudines, quæ certè magna vim mentem, illuminant, & voluntatem movent, erui possunt, vel ex ipsis humanis actionibus unam cum alia comparando, quomodo Christus Dominus similitudine vigilantis Pastoris, & ovis errantis obligationem Superiorum circa subditos ostendit: Vel ex naturali historia, nempe ex proprietatibus, & natura herbarum, florum, plantarum, & animalium, quomodo Deus in Deuteronomio, cap. 32. ostendit Hebræis curam, quam de ipsis habuit, similitudine Aquilæ, dicens: *Sicut Aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans expandit alas suas, & assumptis eum, atque portavit in humeris suis. Vel ex ipsis vulgaribus rebus: Quomodo ipse Christus assimilavit Verbum Dei semini, quod seminavit homo in agro suo.*

Cavendum, ne similitudines indecenter, & viliter afferantur, alioquin risum, & non fructum in auditoribus excitabunt.

DE EXEMPLIS.

412. **U**ltimum, quamvis non infimum locum in sacra concione obtinent exempla; plurimum enim valent ad movendum auditorum

animos. Sumenda autem sunt præsertim exempla ex historiis sacris Sacræ Scripturæ, vel ex Vitis Sancto-rum, & Sanctarum, vel ex mirabilibus à Deo patris in peccatoribus, sive ad ostensionem misericordiae suæ, sive justæ vindictæ. Dixi: *præsertim ex historiis sacris*; nam historia prophæta, quæ ex vitis Gentilium, vel mundanorum virorum desumuntur, quomvis aliquando pro qualitate materiæ, de qua agitur, probæ sint; non tamen ita frequenter, sed parèe eis uti debet Sacer Orator.

Historia verò naturalis, quæ ex ipsa natura sumitur, & proprietatibus rerum visibilibus à Deo creatarum, non infervit ad exempla, sed valde utilis est ad verbum Dei comprobandum per similitudines, comparationes, & per argumentationem à minori ad majus.

413. *Advertenda autem sunt quinque.* 1. Quod quamvis utile sit aliquando, etiam Sanctorum peccata, & errores ad humanam ostendendam infirmitatem, & excitandam spem in magnis peccatoribus, in memoriam revocare; haud tamen ita frequenter illa commemorare debemus, ne auditores inde licentia occasionem sumant, & erudiantur ad excusandas excusationes in peccatis.

2. Ne intipidis descriptionibus circumstantiarum loci, temporis, vel prerogativarum personæ, vel alterius rei, quæ afferunt in exemplo, detineatur oratio, ut describendo pulchritudinem, indumenta, & similia, cum naturaliter ipsa historia producta fructum asserere possit.

3. Ne colloquium inter personas historiae inducatur, nisi ipsa historia verba præbeat, vel probabilis infirmitas.

4. Ne ita breve exemplum sit, ut cor penetrare non valeat; nec ita longum, ut tædio auditores afficiat.

5. Quod à fabulis Poetarum Sacer Orator abstineat, vel adde parèe illis utatur, & breviter, ut ferè nihil sit; quando scilicet aptissime cadant, & in talibus circumstantiis, ut pro antidoto essent, non tamen professionem redderent; non enim bene Arca Testamenti, & Idolium Dagon conveniunt.

CAPUT IV.

DE CAUSA FORMALI.

omodo debeat concio efformari.

414. **O**mnia orationum genera, quæ à Rhetoricis efformari possunt, ad tria principaliter reducuntur, & sunt: *Demonstrativum* videlicet, *Judiciale*, & *Deliberativum*. *Genus demonstrativum* est illud, in quo laudatur, vel vituperatur. *Judiciale*, in quo accusatur, vel defenditur, & *Deliberativum*, in quo persuadetur. *Genus Demonstrativum* habet pro objecto præteritum, & honoratum. *Judiciale* præsens, & justum. *Deliberativum* verò futurum, & utile.

415. His autem tribus generibus addi potest quar-

Quomodo Prædicandum.

quartum, quod vocatur *Doctrinale*; & consistit tantum in edocendo veritatem, & in declarando textus, leges, & præcepta; undè qualibet concio in uno ex his generibus potest ab Ecclesiastico Oratore efformari.

GENUS DEMONSTRATIVUM

416. **S**olùm consistit in narratione; undè concio in genere demonstrativo tunc fit, quando enarrantur mysteria fidei, vel vitæ Sancto-rum, aut Tyrannorum, atque hominum impiorum facinora. In quo genere observanda sunt ea, quæ à Legistis observantur, contenta in illo versu.

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

V. gr. si sermo sit de aliquo Sancto, 1. Memorare debet, *Quis* fuerit, scilicet, ejus Nomen, Parentes, & Patriam. 2. *Quid* egerit in toto vitæ suæ cursu, nimirum exercitia virtutum, heroicæ actiones, prodigia, & miracula. 3. *Ubi* ea omnia patriverit. 4. *Quibus auxiliis* videlicet miracula. In virtute Nominis Jesu, vel signo Crucis, vel invocatione B. Mariæ Virginis, aut alterius Sancti: Exercitia verò virtutum auxilio Dei, medio S. Oratoris, &c. 5. *Cur*, sed ad quem finem ea omnia egerit; scilicet ad majorem Dei gloriam, salutem animæ suæ, & aliorum utilitatem.

6. *Quomodo*: hoc est, agendo de miraculis, an illa patriverit impositione manuum, vel vestium tactu, aut olei unctione, &c. Si verò de virtutibus, quomodo eas exercuerit, referendo modos ab eo adhibitos in oratione agenda, in observando castitatem, pauperitatem, obedientiam, abstinentiam, patientiam, humilitatem, charitatem, &c. 7. Tandem *Quando*: quo tempore illa patriverit. Similiter observandum, si sermo fiat de aliquo mysterio.

Potest etiam hoc genus demonstrativum ad virtutes, & vitia adherere, quando scilicet concio tantummodò sistit in laude virtutum, vel in vituperio vitiorum, quod fit per eorum definitiones, vel recensendo bona, aut mala, quæ causant.

GENUS JUDICIALE

417. **P**ropriè dictum ad Ecclesiasticum Oratorem pertinere non potest; quia in sacris concionibus nullus adest reus, nullus Defensor, nullus Judex; dicitur autem metaphoricè in genere Judiciali versari, quando ita acriter vitia, & perverfas consuetudines reprehendit, ut accusare videatur, constituendo tanquam reum ipsum vitium, & structuram ex Judiciali genere desumptam adhibendo.

GENUS DELIBERATIVUM

418. **E**xercet Orator, quando scripturis, rationibus, exhortationibus, vel minis suadet odium, & fugam alicujus vitii, aut amorem, ac desiderium virtutis.

GENUS DOCTRINALE

419. **A**dhibet, quando Concionatoris finis & scopus principalis alius non est quàm edocere veritatem, seu edocendo explanare aliquod mandatum Dei, vel Ecclesiæ, aut exponere, sive literaliter, sive mysticè totum Evangelium, vel aliquam ejus partem, aut Sac. Scripturam, & similia.

DE PARTIBUS ORATIONIS

Ecclesiastica.

420. **S**eptem enumerare solent Rhetores Oratiois partes, & sunt: *Proœmium*, *Narratio*, *Proœmium*, *Confirmatio*, *Consuatio*, *Amplificatio*, & *Epilogus*. Hæc tamen partium distinctio non ita Ecclesiasticum Oratorem adstringit, ut illæ omnes necessariae arbitrentur; *Narratio* namque non est semper necessaria, nisi in genere demonstrativo. *Confirmatio*, & *Consuatio* probationi subiecta est, & in ea continetur; it etiam, qui amplificat, quodammodo probare videtur. Et tandem *Proœmium* seu Exordium, & *Epilogus*, seu Peroratio admonitionis, & intelligentiæ causa adhibentur, quod haud semper necessariò est agendum, præsertim in re facili, & nota: unde omnes orationis Ecclesiasticae partes ad duas necessarias reduci possunt; quæ sunt *Propositio*, seu propositum, & *Probatio*, quoniam verò regulariter exorditur Sacer Orator, aliqua etiam de Exordio tangam.

EXORDIUM,

421. **S**eu Proœmium est institutum, ut auditores, dociles, attenti, ac benevolè reddantur: *Dociles* auditores reddet Orator, si recto ordine se diciturum, & argutas quæstiones omis-surarum interdum pollicebitur: *Attentus*, si dixerit, sed de salute animarum sermonem habiturum, & quod ipse Deus docuerit, aut Sancti Patres scripserunt, enucleaturum: *Benevolus* tandem, si neque inanis gloriæ cupiditate, nec avaritia, sed zelo Dei, & animarum salutis dicendi munus assumpsisse protestabitur.

Debent tamen Exordia modesta esse, seu verecunda, gravia, & brevia: *Modesta* quidem, seu verecunda, quatenus scilicet nunquam Prædicator, aut raro, si necessitas cogat, se ipsum laudet, vel de se ipso loquatur, sed humilitatem ex orationis principio præferat. *Grave* item esse debet *Exordium*, aliqua videlicet præclara sententia illustratum, propriis verbis, & m. nimè otiosis, quod dicendum est exprimens: Et *Breve*, ut ab omni vanitatis suspitione alienus esse judicetur.

Quantum ad locum Exordiorum, Exordia duci possunt vel à re ipsa, de qua agitur, seu ex ipsis orationis visceribus, vel ab auditoribus, vel à loco, vel à persona ipsius Oratoris, vel à similitudine, vel ab exemplo, vel à sententia Sacræ Scripturæ. Majorem etiam vim habent, si acumine, aut novitate auditorum mulceant aures. Nonnumquam etiam abrupto ordiendum. Ad hoc Ecclesiasticos Oratores moneo, ut copiam sibi Exordiorum, & Epilogorum

rum è Sauctis Patribus colligant, ut facilius, atque utilius ex tempore dicant.

PROPOSITIO.

422. **P**ost Exordium utatur Ecclesiasticus Orator propositione illius rei, quam demonstrare intendit: ad quam propositionem tria necessario exiguntur. 1. Quod sit *Una*, ita ut omnia, quæ in concione dicentur, sive probando, sive amplificando, sive confutando, &c. ad unam conclusionem principalem reducantur; alioquin, si propositio non erit una, neque concio una erit, sed multiplex: v. gr. de jejuniis fieri possunt quamplures propositiones, ut: *quod Jejunium sit meritum: quod sit satisfactorium: quod sit antiquum, &c.* quæ sunt plures propositiones. Dicitur autem propositio una, quando unum habet subiectum, & unam passionem. 2. Quod sit *Catholica*, videlicet consona fidei, & S. M. Ecclesiæ locutioni. 3. Quod sit *Popularis*, quæ scilicet, populorum infirmitati, aut moribus sit accommodata.

Ad orationem disponendam inservit propositio: divisio; sed cavendum est, ne ita instramento dividendi delectetur Orator, ut confusione potius pariat, quam memorie consulat. In tria igitur, vel ad summum quatuor capita, seu puncta est propositio dividenda.

Exemplum sit propositio: *jejunium est utile animæ; hæc propositio potest dividi in illa quatuor ab ipsa Ecclesiæ enumerata, nempe jejunium vitia comprimit, mentem elevat, virtutem largitur, & confert præmia.* Ex quo patet, quod partes, in quas propositio dividitur, habere debeant inter se aliquem nexum, ita ut omnes ad illam unam propositionem reducantur.

DE ARTE INVENIENDI PROPOSITIO.

423. **A**RS inveniendi propositionem est Sacram Scripturam diligenter perlegere, & ponderare, germanumque illius sensum, & non extortum inquirere, ac juxta illum firmas, & æterna veritates maximas efformare, quibus utetur pro temporis opportunitate. Et ubi sensus literalis haberi non potest, ad alios sensus est recurrendum.

Juvat Sacros Expositores, sacerorumque Concinatorum argumenta, ac materiarum Indices perolvere, & imitari.

Sed illud permaximè proderit ad firmiores profundioresque propositiones inveniendas, ad Orationem mentalem confugere, atque in ea exerceri: in hac enim ipse Spiritus Sanctus mentem interius illuminat, & profunda Cœlestium Myſteriorum arcana revelat. In hac quippe schola SS. Patres, scientia haud humanis acquisita, sed potius divinitus infusa tot solidas veritates, & inconcussas doctrinas didicere, totque volumina conscribere.

EPILOGUS,

424. **S**EU peroratio est terminus orationis. Terminatur sæpe sermo sine commotione, præsertim, quando sententia aliqua explananda è sacris literis sumitur, ut fecit S. Augustinus in sermonibus ad populum, dicens: *Hæc retinete, hinc fidei animas vestras subjugate, à Christo Dño. præmia consecraturi Cœlestis Regni.*

Utile tamen est sæpe cum aliqua commotione animi orationem concludere: commotionis autem Christianæ quatuor sunt species: scilicet *Timor, Spes, Dolor, seu penitentia, & Letitia.* Hinc, ut auditorum animos exiret, poterit hos locos Ecclesiasticus Orator sibi præscribere, videlicet: ut ab illecebris Diaboli, à Mundi amore, à domestica voluptatum tyrannide illos abducatur, aut ipse pro auditoribus penitentibus loquatur, aut faciat eos interdum orantes, atque deprecantes; aut deplorat, deprecetur etiam cum lacrymis; non longa tamen oratione, cum nihil citius areſcat, quam lacryma.

QUO ORDINE DISPONENDA SIT CONCIO.

425. **I**N principio Sermonis, seu in Exordio Ecclesiasticus Orator, de quo sibi dicendum sit, proponet; deinde, quod propositum fuit, explanabit: definitione utetur, divisione, rerum distinctione: brevem nonnumquam rationem subiiciet: Exemplo, & similitudine rem declarabit: breviter interdum digredietur, ita tamen, quod unde deflexit oratio, eodem iterum redire significet: concludat interdum singulis argumentis, nonnumquam pluribus explicatis. Quæ explicaverit, cum iis, quæ sequuntur, conjungat, ad ea insensibiliter transiens, & tandem pro ultima conclusione ferventiora, & magis penetrantia adhibeat verba, interdum apposite, breviter recapitulando discursum, ut melius in audientium memoria permaneat. Talem etiam adhibeat methodum, ut à principio usque ad medium concionis auditores instruat, ac deinceps usque ad finem moveat; & pios affectus ultimo loco excitet.

DE PERSPICUITATE ORATIONIS Ecclesiasticæ.

426. **P**erspiciuitas Orationis in hoc consistit, quod Ecclesiasticus Orator utatur in dicendo verbis, & non inibus magis propriis, ac communibus, quæ videlicet communi loquendi usu recepta sunt, non autem obscuris vocabulis, vel translatis, quæ non versantur in usu, quomodo enim persuadere poterit, si non intelligatur? Excipit tamen ea, quæ propriis vocabulis explicata, sine verborum, vel horroris auditori nequeant, ut sunt quedam corporis partes, & etiam aliqua peccata nefanda, quorum nomina propria omnino sunt suppressenda, & circumlocutione explicanda.

QUO.

QUOMODO PRÆDICARI DEBEAT.

427. **A**D hoc ut Prædicatio Verbi Dei finem suum fortitur, sex præsertim requiruntur: id est, *Divini auxilii imploratio, decor Prædicationis, judicium in dicendo, emendata locutio, pronuntiatio, & actio.*

DE IMPLORATIONE DIVINI AUXILII.

428. **P**incipium elocutionis, & totius Ecclesiasticæ eloquentiæ à Divini auxilii imploratione lumendum est; quis namque audeat de Deo sine Deo fieri, aut de Divinis sine ope Divina tractare? Idcirco, nisi meditatione præcedente, & precibus ad Deum suis, nemo debet ad Verbum Dei enunciandum assurgere, ne aliquando Divino destitutus auxilio, præclarissimum hoc munus dedecoret. Hortaretur etiam, ut nisi prius cœlesti pane refectus, Angelicum hoc ministerium non subiret.

DE DECORE SERVANDO.

429. **N**onnullæ præscribuntur leges, ut Decor, tum Prædicatoris, tum Prædicationis servetur. 1. Requiritur, quod vita Oratoris ab Oratione non discrepet, ne de ipso dictum Salvatoris, Matth. cap. 23. verificetur: *Hi sunt, qui dicunt, & non faciunt.* Nec enim facilliter persuadebit Orator, si illud, quod verbis docet, moribus contradicit.

2. Ne unquam falsum dicat, vel mendacia proferat, nec etiam si speret inde animas omnes peccatorum ad poenitentiam se posse convertere; Deus enim nostris mendaciis non eget.

3. Ne auditoribus aduleatur, eos variis epithetis, & titulis frequenter laudando, quamquam aliquando, si suo loco, & tempore adhibeantur, aliquid valeant; sed parè illis utendum est, aptius enim esset appellare *Fratres, & sorores in Christo, animas à Deo benedictas, animas Christianas, populum Dei, filios charissimos, dilectissimos auditores, & similibus.*

4. Ne se ipse jactet, aut suas res pulcherrimas non antea auditas se dicturum pollicendo, vel narrando se in aliis locis dixisse; & admirationem concitasse.

5. Tandem, ne supervacaneis, & inutilibus verbis tempus conterat.

DE JUDICIO IN DICENDO.

430. **J**udicium, seu Prædicatoris providentia in hoc consistit, quod prius diligenter inquireat mores, & præcipua vitia illius Civitatis, Oppidi, aut Locii, ubi est concionaturus, ad hoc, ut pro diversitate morborum opportuna adhibere possit medicamina, non enim eadem ubique colliria sunt applicanda. Similiter concionem suam ad ingenium, & conditionem audientium accommodare studeat; sicut enim non decet pauperes, vel rusticos oburgare de epiparis epulis, & de vestium pompa;

ita neque decet ad ignaros ea, quæ intellectu difficilia sunt prædicare: attendere igitur debent Concionatores prædictum, & conditionem audientium, atque circumstantias alias loci, temporis, &c. ne dicatur eis illud Jerem. Tren. cap. 4. *Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.*

DE EMENDATA LOCUTIONE.

431. **E** mendatam locutionem in concionando commendat N. Seraphicus P. S. Franciscus Fratris suis, in 9. cap. Regulae his verbis, *Maneo quoque, & exhortor eosdem Fratres, ut in prædicatione, quam faciunt, sint examinata, & casta eorum eloquia ad utilitatem, & edificationem populi.*

Ad hoc igitur, ut emendatè loquatur Ecclesiasticus Orator, hæc observare debet. Cautè r. ne sollemnissimis, ac barbarissimis auditorum aures offendat.

2. Ne verbis jocosis, vel facetiis risum excitantibus, aut minus honestis sermonibus, vel descriptionibus obscenitatem potius, quam pietatem sapientibus, aut fabellis, vel somniis utatur, non fructum animarum amittat, & suspicionem præbeat de se ipso.

3. Ne *sati, fortune, infortunii* nomine, aliaque id generis ab Ecclesiæ usu jam pridem explosa, frequentè usurpet. Nevè Deos, vel Deas, nisi improbando, vel deridendo gentilium fatuitatem appellare audeat, quos illi tanquam deos veneraverunt.

4. Ne ancillarum adhibeat proverbialia.

5. Ne prædicet miracula falsa vel incerta, aut prophetias per Sacram Scripturam non approbatas, & à fortiori à se ipso temerè excogitatas; dicendo, Deum, vel Christum locutum fuisse; quod execranda hypocrisis est. De istis enim conqueritur Dominus, Ezech. cap. 13. dicens: *Ve Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident.*

6. Ne historias narret, vel explicationes Scripturæ adhibeat, quæ ex apocryphis Scriptoris sunt desumptæ.

7. Ne Prælati Ecclesiæ, vel Religiois, aut Ecclesiasticis detrahat, vitia eorum nominatim prophanando, sive verbis expressis, sive æquivalentibus. Dixi *nominatim*; quia licitum est Concinatori generalibus verbis, vitia etiam Prælatorum, & Ecclesiasticorum dulciter reprehendere. Et quod dixi de personis Ecclesiasticis, etiam de Sæcularibus est intelligendum, cum hoc tamen discrimine, quod nunquam de perverſis quorundam Prælatorum, vel Sacerdotum moribus agat, quin etiam de Prælatu, vel Sacerdotii dignitate, & auctoritate multa dicat.

8. Quod in vitiis reprehendendis à contumeliis, injuriis, & execrationibus se abſtineat; non enim ad rixandum, sed ad monendum Sacer Orator pulpitem ascendit. *Vide tom. 1. verb. Contumelia.*

9. Quod nunquam de Prædicatione loquatur, quin aliqua de libero hominis arbitrio attingat.

10. Quod nunquam matrimonium ita laudet, ut virginitatem ei non anteponat.

Cccc

No

11. Ne contra piam, & communem sententiam de Immaculata B. Mariæ Virginis Conceptione aliquid dicere, vel disputare audeat.

12. Ne alicuius Sancti Patris sententiam temerè refuset.

13. Ne singulares quasque opiniones (ut cæteris doctior videatur) in medium afferat, sed tantum illas, quæ non sunt ab Ecclesiæ usu, & consuetudine alienæ, & quæ cum probatis Ecclesiæ Doctoribus sunt consentaneæ, proferat.

14. Ne Civiles Magistratus, vel Dominantes, vel Rectores Civitatum, & locorum asperius objurgat; sed si aliquando opus erit, piè admoneat.

15. Ne iratum se ostendat, eo quia aliquando corona frequentium auditorum ipsi deficiat.

16. Tandem. Quod in universum ab illis verbis abstineat, quæ decorem orationis, vel Oratoris minuunt, aut tollunt, vel admirationem, scandalum, diffamationem, jurgia, errores, & similia in audientibus causare possunt; sed sapienter, clarè, humiliter, modestè, & cum prudentia loquatur, ut decet Sacrum Oratorem.

DE PRONUNCIATIONE.

432. **P**ronunciatio, quæ est maxima artis oratoris pars, in idiomatico, & vocis moderatione consistit.

DE IDIOMATE.

433. **U**nusquisque (regulariter loquendo) in illo Idiomatico, ac in ea lingua, in qua natus est, prædicare debet, ut majorem, atque uberiorem fructum ex sua prædicatione auditorum animæ percipiat, maxime in propria Regione, ubi aliena lingua non ab omnibus universaliter percipitur; caveat tamen vocabula nimis rudia, & aspera, quibus scilicet genus infimæ plebis, & mulierculæ uti solent; sed nobiliora eligat, & perpolitata, quæ videlicet à viris doctis, & civilibus communiter adhibentur.

Dixi: *regulariter loquendo*; quia si in aliena Regione prædicet, & præsertim, ubi nativum Idioma minime percipitur, vel pro vili habetur, tunc studere debet in Idiomatico communiore, & magis accepto prædicare, quod est v. gr. in Italia Idioma Etruscum cum pronuntiatione Romana.

DE MODERATIONE VOCIS.

434. **V**ocem debet ita Ecclesiasticus Orator moderari, ut ab oratione non discordet, sed rebus, quas tractat, vox sit accommodata: aliud enim vocis genus, nempe acutum, & concitatum requiritur ad exprimentum zelum Dei; aliud scilicet humile, & demissum ad consolandum peccatores, timore propriæ conscientie perterritos: Ad

exprime idem gaudium, vox esse debet lenis, & remissa: Ad dolorem animi manifestandum, vehementius quidam, & gravis sonus vocis requiritur.

Itaque ne debet Orator immoderatis vociferationibus uti, ubi remissa vox requiritur, & lenis: neque uti leni, & remissa voce, ubi aliqua facessit asperitas, ne frigida evadat oratio; similiter quamdam vocis molliem, vel magnitudinem non affectet. Nimiam in dicendo tarditatem, & celeritatem effugiat. Et tandem omnem cantilenam vitare studeat, sed solum familiarem, liberam, & naturalem dicendi formam adhibeat; caveatque ne uno semper vocis sono tota consistat oratio.

DE ACTIONE.

435. **A**ctio Oratoris, quæ est individua pronuntiationis comes, & complementum, in motu, & gestu corporis sita est. Debet ergo Ecclesiasticus Orator eo modo, quo vocem, gestum rebus accommodare, de quibus tractat. Oculi sunt præcipui pronuntiationis comites, quorum intentione, & remissione, conjectu, & hilaritate affectiones exprimuntur.

In gestu itaque, & motu corporis hæc Concinator cavere debet: scilicet, ne eodem semper gestu, neque manu eodem modo composita; neque semper eadem vultus moderatione utatur: Ne pulpitum manibus percutiat; nisi quando rei magnitudo possit. Ne per pulpitum cursitet, vel saltet. Ne in pulpitum unquam corpore innitatur, vel medium corpus demittat, sed rectus stet, aut sedeat. Ne, quando maxime commovere studet, oris speciem immutet, quod risum potius, quam commotionem excitat, nec labia lambat, vel mordet. Ne caput in latus inclinet. Ne supercilia contrahat, deducat, vel remittat. Ne humeros attollat, nec rursus contrahat. Ne brachium tanquam gladiator immoderatè projiciat, quamvis moderatè projectum sit telum orationis, quo interdum feriuntur animi. Ne sinistram jactet, nisi in maximo sermonis calore. Ne manum supra os, vel oculos immediatè ponat, nec demittat infra pectus. Ne manus ad femur apponat, nisi raro cum ad indignationem movere voluerit. Ne pede suppedat, nisi cum de rebus maximis agitur. Ne digitorum gestum indecorum adhibeat; nec ipsorum argutiis utatur. Ne crebrò expuat, vel tussiat, nisi necessitate coactus.

Alia indecora similia fugiat, studeatque, ut actio sit libera, ac naturalis, non affectata: item nobilis, generosa, & spiritu plena, sancta continens, & sine præcipitatione: quod totum facillimè consequetur, si in principio suæ exercitationis in hac arte concionandi peritos Magistros consulat, à quibus erudiat, & corrigatur.

EXAMEN MISSIONARIORUM.

436. **Q**uoniam ipsum Missionarii nomen aperte latè admonet, cum, qui tam præcipuum Apostolicum opus agredi cupit, debere esse assumum, & dicente Apost. ad Rom. 10. *Quomodo predicabunt nisi mittantur?* ideo primò advertat unusquisque, qui taleatum verbum Dei annunciandi obtinuit, ne temerè ad hoc munus obeundum se ingerat, sed solum, si Deo interius inspirante, ab ipso sit vocatus tanquam Aaron; quod facillè dignoscere poterit, si pro nunquam, & principali sine habeat, minimè temporale aliquid emolumentum, sed Dei gloriam, & Animarum profectum. Et tunc obtenta prius Ordinarii facultate, suorumque Superiorum benedictione, opus tam Deo charum aggrediatur.

437. **S**ecundò. Hoc peracto, cum uno, vel duobus sociis (prout loci Ordinarii placuerit) omni cum devotione, ac modestia ad Civitatem pergens, seu locum, ubi Apostolicam Missionem exercere voluerit, antequam incipiat, præmonitum faciat Parochum de suo adventu, & sine, ut ille sibi assistat, & faveat in cunctis, quæ ad suum ministerium conducunt.

438. **T**ertio. Civitatem, seu locum ingrediens, unus imaginem Crucifixi anteferat, alter verò campanulam, qua dato triplici signo, alta voce laudabit Sanctissimum Jesu-Christi nomen, vel Sacramentum, & Immaculatam Virginis Mariæ sine macula originali conceptæ.

439. **Q**uartò. Magis elevando vocem, dicat: *Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos.* Vel alium consimilem textum; aut aliquam orationem jaculatoriam lingua vulgari, quæ sibi ad commovendum populum, ipsiusque ad Ecclesiam convocandum magis apta videbitur.

Hinc quasi processionaliter incedentes Litanias B. M. V. canere poterunt, vel coronam recitare, & plateas, aliaque loca populo magis frequentia transfundo, aliquantulum sistat, & verba aliqua exhortationis faciat ad excitandos otiosos: *Quid hic statis tanta die otiosi? Querite Dominum, dum inveniri potest.* Vel aliud simile, & sic omnes post se conabitur trahere.

440. **Q**uintò. Cum in Ecclesiam fuerit populus congregatus, pulpitum Missionarius ascendat, & primum de ipsa Missionis sermonem habebit, pro quo assumere poterit thema illud Exodi 3. *Qui est, misit me ad vos:* Ostendens se tanquam Moysen à Deo missum ad eos liberandos ab hujus præsentis sæculi Ægypto, & à miserabili servitute diaboli.

Sermonem autem in tria puncta dividere poterit, differendo videlicet: Primò, de Dei gloria. Secundò, de Animarum salute. Tertio, de emenda-

tione vite. Invitet omnes ad penitentiam, ad compunctionis lacrymas, & ad peccatorum suorum integram, atque lacrymabilem confessionem; pro qua excipienda, sese, ac focium exhibeat, si is quoque Confessarius fuerit; necnon alios probos adeundos Confessarios pro faciliiori expeditione adhortetur.

Denique S. Indulgentiam plenariam teneat (uti Missionarii mei Ordinis tenent, ex num. 445.) habita prius Ordinarii benedictione, & in Regnis Bullæ Comillarii Cruciatæ licentia, indulgentiam publicet, & ad illam, designata die (quæ poterit esse ultima, & Dominica) lucrandam invitet.

441. **S**extò. Quolibet manè Missam celebrabit, in cujus sine (si circumstantiis loci, & personarum attentis, judicaverit expedire) haud parum utile erit, si verba pauca, sed fructuosa ad auditores habeat, aliquod Missæ mysterium, vel textum currentis Evangelii, seu Epistolæ breviter declarando: & post gratias Deo actas, reliquum matutini temporis in audiendis confessionibus infuset, vel in aliquod aliud pietatis officium; ut in sedandis inimicorum odiis, in assistendo moribundis, in Sacramento Eucharistiæ ad infirmos associando, & in aliis similibus pietatis, & charitatis operibus, ostendens, se in cunctis Animarum salutem, Deique cultum, & famulatum querere.

442. **S**eptimò. Actum Missionis perficiet, hoc pacto, Populum prævenire poterit assignendo per locum teleras convocationis, in quibus dies, & hora Missionis, & Concionis notentur. Die præfixa accedente, cum per solita Campanæ signa excitabit. Et si opus fuerit, ipse cum socio Verserarum hora cum Crucifixo, & Campanula ad eundem convocandum exiet, & secum ad Ecclesiam perducet.

Ibi post Vesperas ad locum aptatum ascendens, per horæ dimidiam Doctrinam Christianam, articulosque fidei explanabit. Utilis erit, & simul jucundum, si fiat per oppositionem puerorum aptiorum, ad hunc effectum prius selectorum, & tunc ante Missionarium coram populo dispositorum, quorum unum à Missionario de articulo Doctrinæ Christianæ interrogatum, si erret, alius corrigat, & Missionarius super illo puncto suam declarationem addat, sique prosequatur.

Post dimidiam horam Doctrinæ Christianæ, quadrantem horæ cum populo genuflexo expendet in oratione mentali, vel vocali, ipsam dirigendo pro S. R. Eccles. exaltatione, Principum Christianorum pace, & concordia, & hæresum extirpatione.

Statim (si fieri poterit) aptus Sacerdos, aut Clericus in organo (si pulsari poterit) aut propè Missionarium Itans, cantunculam more loci modestè canere poterit, quæ sit materia Concionis conormis.

Inde Missionarius in eo loco, aut in pulpito Concionem habebit per tres horarum quadrantes in cuius finem diem, & horam futuræ Concionis designabit.

Prima Concio esse poterit de confessione, & ejus partibus essentialibus, maxime agendo de integritate, dolore, & proposito. Aliis verò diebus sequentibus materiam Concionum assumet, prout melius Animarum necessitati viderit expedire: Videlicet de quatuor Novissimis, Morte, Judicio, Inferno, & Paradiso.

De Dei Misericordia in parcendo verè penitentibus. De malo procrastinantium converti ad Deum. De gravitate, & seditate peccati mortalis.

Supra omnia autem valde fructuosum erit, imò necessarium de deceni Præceptis Decalogi, de Præceptis Ecclesiæ, & septem vitis Capitalibus sermones contexere, ut plebs ignara clarè, & distinctè legem Dei addicere valeat, & quæ observare, quæque vitare teneatur agnoscat; ne fortè de ipsis Prædicatoribus suis conqueratur Dominus, dicens: *Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.* Hinc haud parum proficuum erit, si aliquibus diebus à diebus Concionis distinctis, horam ad Doctrinam Christianam, & præmissa præcepta explananda assumat; de quibus, quid discurras, fusè habes in tomo primo.

443. Octavò. Hoc saluberrimum Sacræ Missionis exercitium haud habet præscriptum tempus. Perdurare autem solet per quindecim, decem, aut octo dies. Proturhi potest ad mensem, si necessitas postulet, quod magis expediens esset pro Doctrina Christiana in oppidis, & locis rudibus.

Eo tempore poterunt quinque, aut octo Conciones, uti supra num. 242. fieri juxta locorum, & personarum opportunitatem.

444. Nono denique. Ad magis excitandam populi devotionem, poterit Missionarius suæ Missionis tempore duas, aut tres Processiones ordinare cum interventu Cleri. Primam in principio Missionis pro dispositione, ut dictum est à num. 437. ad 440.

Secundam in medio pro penitenti exemplo ad peccatores commovendos, in qua deferent imaginem Crucifixi grandem cum luminibus, quantum fieri potest, ferentibus Clericis Sacerdotibus, Religiosis, aut Confratribus, & congregatis supra caput, & collum penitentia, ac mortificationis instrumenta. Et tunc sermo erit de Passione Domini, vel de penitentia agenda in remissionem peccatorum.

Tertiam tandem processionem faciet in fine Missionis pro gratiarum actione, quæ fiet cum lætitia magna, simul, & devotione, deferendo imaginem Beatisimæ Virginis festivè ornatam, campanis pulsantibus, canendo hymnum *Te Deum Laudamus*, insuper gaudii, ac laudis Psalmos, & Cantica. Inde erit sermo de gratis Deo agendis pro beneficiis cunctis, tum spiritualibus, tum corporalibus, generalibus & particularibus, præcipuè ipsius Missionis tempore ab omnium bonorum largitore collatis. Cui, & ego

præ cæteris gratias ago pro hujus *Examini Ecclesiastica* Initio, Incremento, & Meta.

INDULGENTIA PLENARIA CONCESSA
Missionariis Ordinis Minorum de Observantia S. P. Francisci, & Christi fidelibus, ad quos iidem missi accesserint.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Universis Christi Fidelibus presentes Litteras inspecturis, salutem, & Apostolicam benedictionem.

445. **C**œlestium munerum thesauros, quorum Dispensatores esse nos voluit Altissimus, libenter iis impartimur, quos pro sua in Deum, & proximos charitate, & Christianæ Religionis zelo, animarum salutem omni studio procurare intelligimus. Quo in genere cum Fratres Minores Ordinis Sancti Francisci de Observantia habeamus, eosque in primis, quos Dilecti Filii eorumdem Fratrum Superiores ob hanc causam hoc ipso, & consequentibus annis in diversas Provincias Christianæ Reipublicæ mittere constituerunt, nos sane eorumdem Fratrum pietatem, ac operam, eorumque, ad quos illi mittendi erunt, Religionem, & devotionem spiritualibus gratis confovere, atque augere cupientes, supplicationibus Dilecti filii Matthæi à Sancto Stephano dicti Ordinis Ministri Generalis Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, pianque illius deliberationem, quantum cum Domino possumus, promovere volentes, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis Fratribus dicti Ordinis, tam Reformatis, quam non Reformatis, Ministro Generali ejusdem Ordinis subiectis, ad Missiones in quibusvis locis de Ordinariorum licentia respectivè exercendas in futurum mittendis (ubi tamen non erunt Missionarii Congregationis de Propaganda Fide) & aliis utriusque sexus Christi fidelibus, ad quos ipsi mittendi accesserint nostram, & Apostolicam benedictionem per præsentem impartimur; necnon iidem verè penitentibus, & confessis, ac Sacra Communionem recepissent, qui pro Sanctæ Romanæ Ecclesiæ exaltatione, Principum Christianorum unione, Infidelium conversione, hæresum extirpatione, prout unicuique suggeret devotio, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino auctoritate Apostolica, tenore presentium pro una vice dumtaxat pro unaquaque Missionè de Ordinariorum locorum licentia respectivè faciendam, concedimus, & elargimur: Hortantes Venerabiles Fratres, Patriarchas, Primate, Archiepiscopos, Episcopos, & alios Ecclesiarum Prælatos, Rectores, ac Verbi Dei Prædicatores, ut in suis quibusque Ecclesiis, cum populus frequentior fuerit, præsentem Litteras, & omnia in eis contenta publicent, &

„Pu-

„publicari faciant, ac omnem eisdem Fratribus, tam Reformatis, quam non Reformatis favorem, & auxilium in præmissis præstent. Volumus autem, ut presentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ ob signatis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis presentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorum sub Annulo Piscatoris, die xx. Augusti „M.D.C.XCIX. Pontificatus nostri Anno nono.

I. F. Cardinalis Albanus.

PRO FRATRIBUS OBEDIENTIA, SEU DIRECTIONI prædicti Ministri Generalis totius Ordinis S. P. Francisci subiectis, Doctrinam Christianam docentibus, & pro indulgentiis amplissimis, quibus ipsi, & alii Christi fideles explicatio memoratæ Doctrinæ à dictis Fratribus faciendæ interessentes frui, ac gaudere poterunt in perpetuum.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pleritis, ac Christianæ charitatis opera ubique locorum cum divini cultus incremento exerceri cupientes, Christi fideles quoscumque, præsertim sub suavi religionis jugo Altissimi famulantes, ut ad illa exercenda promptiores reddantur, indulgentiis, & peccatorum remissionibus invitamus, prout ad Christianam propagandam Religionem, & animarum salutem procurandam conspiciamus in Domino salubriter expedire. Cum itaque (sicut accepimus) dilecti filii Fratres Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum inter pia, quæ exercent opera, etiam pueros, & adultos, quoscumque per universum Christianum Orbem Catholicæ Fidei rudimenta, & Christianas omnes virtutes accuratè doceant; Nos pro nostri Pastoralis Officii munere, hoc pium, Christianæque Reipublicæ necessarium opus, ex quo hætenus uberrimi fructus provenerunt, ac multo uberores posthac provenituros speremus, confovere volentes, ut eorumdem Fratrum devotio ad dictum opus exercendum in dies magis augeatur, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, supplicationibus quoque dilecti filii Francisci Diaz à Sancto Bonaventura Commissarii Generalis Curia pro ultramontana Familia dicti Ordinis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati,

Omnibus, & singulis dicti Ordinis Fratribus, & aliis universis Christi fidelibus ubivis locorum existentibus, ac cum eisdem Fratribus ad infra scripta cooperantibus, qui de Superiorum suorum licentia respectivè, ac de consensu Ordinariorum locorum pueros, & adultos quoscumque Doctrinam Christianam juxta Decreta Concilii Tridentini docere, aut eidem dum docetur interesse consueverint, si verè

penitentes, & confessi Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, die festo ab iisdem Ordinariis in Ecclesiis, in quibus Doctrina Christiana docetur, semel in anno designando recepti fuerint, plenariam, necnon ipsis, qui verè similiter penitentes, & confessi, dictum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, aut id facere non valentes, animo contrito nomen Jesu saltem corde in mortis articulo devotè invocaverint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præterea illis, qui pariter verè penitentes, & confessi, semel quolibet mense Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, septem annos, & totidem quadragenas; qui verò in causa fuerint, ut pueri, famuli, aut quavis aliæ personæ ad Doctrinam Christianam eant, ducentos dies; & qui diebus Stationum Urbis nostræ hanc Doctrinam in Ecclesiis, aut Oratoriis de Ordinariorum licentia docuerit, ac etiam illi, qui ad eandem discendam accesserint, easdem indulgentias consequantur, quas consequerentur, & confisiqui possent, si Ecclesiæ Stationum ejusdem Urbis personaliter visitarent; easdem etiam indulgentias Visitatores Scholarum Doctrinæ hujusmodi, qui ex commissio sibi officio visitabant illas Scholas, quas illo die visitare poterunt, consequantur, si peccata sua confessi, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint.

Insuper illis, qui diebus feriatis hanc Doctrinam Christianam, aut publicè, aut privatim, ut præmittitur, explanaverint, centum dies, necnon omnibus, & singulis Præceptoribus, qui diebus festis discipulos suos ad Doctrinam Christianam duxerint, eosque illam docuerint, septem annos; & qui diebus feriatis in propriis Scholis eandem Doctrinam explicaverint, aut collationes fecerint, licet illo die non intervenirent in aliqua Schola docendi causa, septem annos, omnibus autem, & singulis patribus, & matribus familias, qui in suis domibus liberis, & famulis, & familiaribus utriusque sexus Doctrinam Christianam similiter explicaverint, qualibet vice id fecerint, centum dies. Item iis, qui per Civitates, Terras, & alia loca viros, mulieres, aut pueros ad discendam eandem Doctrinam Christianam docendi causa circumierint, septem annos; ac etiam, qui extra Civitates ad illam, ut præfertur docendam per Castra, & Villas exeunt, decem annos; omnibus, & etiam singulis Christi fidelibus, qui per mediam horam Doctrinam prædicatæ, aut discendi, aut docendi causa studuerint, aut eidem Doctrinæ interfuerint, centum dies; eisdem etiam, qui Doctrinam prædicatam docere solent, si infirmos visitaverint, quoties id fecerint, ducentos dies de injunctis eis, aliis quomodolibet per eos debitis penitentia in forma Ecclesiæ consueta relaxamus.

Presentibus perpetuis futuris temporibus validis. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut si aliquæ aliæ indulgenti-

gen-

gentia prædictis Fratribus præmissa peragentibus à Nobis, vel prædecessoribus nostris ad tempus nonnumquam elapsum, vel perpetuò duraturæ concessæ fuerint, præsentibus nulla sint; utque earundem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici, vel Secretarii Generalis dicti Ordinis subscriptis, & sigillo Ministri Generalis ejusdem Ordinis, vel alterius perso-

næ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xxx. Maji M.DC.LXXXVI. Pontificatus nostri Anno Decimo.

I. G. Cardinalis Salsus.

PARS QUARTA.

EXAMEN CONCILIORUM.
CAPUT PRIMUM.

Notitia Præliminares.

1. Quod Latine Concilium dicitur, Græcè synodus appellatur: Utraque appellatione promiscue utitur.
2. Potest autem Concilium dividi, primò in Ecclesiasticum, & Sæculare. Ecclesiasticum (de quo solo hic agendum) ex etymologia nominis allata ex *can. Canonibus*, definitur potest, *Congregatio hominum Ecclesiasticorum prædicationi, auctoritate Prælatorum convocata, ad tractandum communi intentione de rebus Ecclesiæ necessariis, & utilitatem ejus publicam concernentibus.*
3. Conciliorum Ecclesiasticorum secundum Glossam in *can. Conventibus*, 1. *quæst.* 7. alia sunt Universalia, seu Generalia, alia Localia, seu particularia, Concilium Universale Ecclesiasticum est, quod à Papa, vel ejus Legato cum omnibus (id est, totius Orbis Christiani) Episcopis constituitur. Unde, & OEcumenicum, id est totius orbis Christiani, & Universale, ex parte convocatorum appellatur: quia scilicet, ut sit legitimum, requiritur, ut ad illud convocatio Episcoporum (qui de jure communi vocari debent, tanquam vocem deciviam habentes,) sit Generalis & legitime facta. Quamvis necesse non sit, ut omnes personaliter compareant, ut videre licet apud Bellarm. *libr.* 1. *de Conciliis cap.* 17.
4. Concilium Particulare est ad quod non vocantur omnes Episcopi totius orbis Christiani. Hoc enim Concilium propriè particulare vocatur, opponiturque Concilio Universali, ex parte Convocatorum. Etenim Concilium aliter particulare dici potest ex parte auctoritatis, seu quoad auctoritatem eo quod non adstringit omnes Christianifideles, nec fit in eo decisio pro tota Ecclesiâ, nisi à Romano Pontifice sic extendatur.
5. Conciliorum Particularium, propriè dictorum, alia sunt Nationalia, alia Provincialia, alia Diocesana, seu Episcopalia. Nationalia sunt, quæ

celebrat aliquis Patriarcha, vel Primas, cum Archiepiscopis, & Episcopis, unius alicujus Regni, aut nationis, seu duarum, trium pluriumve provinciarum. Talia sunt multa Concilia Romana à Summo Pontifice cum Episcopis Italiae tantum celebrata, de quibus Turrecrem. 3. *de Summa Ecclesiæ cap.* 3. Tolitana item, & Africana, quæ etiam subinde Universalia dicantur, non tamen absolute, sed vel quia sunt Universalia, & Generalia in illo, vel isto Regno, natione, aut provinciis, vel quia sunt Universalia quoad auctoritatem, quia scilicet, quatenus approbata à Summo Pontifice, omnes Christianifideles ad sui observationem adstringunt.

6. Provincialia dicuntur, quæ Archiepiscopus, seu Metropolitanus celebrat cum suis suffraganeis, Episcopis, Abbatibus, aliisque Clericis suæ Provinciae. Olim quidem bis singulis annis, ut patet, *can. de Conciliis*, 2. *can. Quoniam* 7. & aliis; postmodum autem semel, *can. Quoniam*, *cap. sicut olim* 25. Hodie vero ex decreto Concilii Tridentini, *sess.* 24. *cap.* 2. *de Reformat.* quolibet saltè triennio cogi jubentur per Metropolitanum, aut eo legitime impedito, per Episcopum antiquiorem, non tamen per Episcopum exemptum, qui Archiepiscopum semel elegit, etiam si super omnes sedeat, & promotione sit antiquior. Zerola in *Praxi Episcop.* *part.* 1. *V. Concilium ad* 5. 7. *Et Decr. Cong. Card. Interp. Concil. Trident.* si omnes Episcopi, alique, quibus id vel ex jure (ut Abbates in tota provincia commorantes, sive Abbatis habeant, sive Commendas, *can. Decernimus dist.* 18.) vel ex consuetudine competit, sub certis poenis interesse jubentur. Talia Concilia sunt plurima Tomis Conciliorum videnda.

Ad eorum Convocationem, aut Celebrationem non requiritur præsentia, vel auctoritas Primatis, aut Patriarchæ, *arg. d. can. de Conciliis.*

7. An autem ad ea soli Episcopi vocandi sint, con-

controvertitur. Placet affirmativa sententia, quia jura hac de re loquentia tantum faciunt mentionem Episcoporum, *can. Propter Ecclesiasticas*, *can. Non oportet*, *can. Pervenit*, *can. Si quis Episcoporum*, & *can. ult. dist.* 16. possunt tamen alii vocari, non ut habeant vocem, sed ut sint consultores. Et saepe vocari expedit, *arg. cap. Novit*, & *Ec. Quando infra de his que sunt à Prælat. sine cons. Nam ubi multa consilia, ibi salus, & multitudo sapientium est sanitas orbis*, ut inquit Sapiens *Proverb.* 11.

Vocandi tamen sunt, præter Episcopos, quicumque jurisdictionem Episcopalem habent, ut colligitur ex *can. Conventibus* 1. *quæst.* 7. *can. Hadrianus dist.* 53. Et omnes Episcopi ipsius provinciae in provinciali synodo comparere debent, aut alias si iustam excusationem habeant, illam per litteras, vel certos nuncios Metropolitanum significare. Gloss. in *can. Placuit dist.* 18. Episcopi autem, qui nulli subsumunt Archiepiscopo, aliquem vicinum Metropolitanum semel eligere debent, & in ejus synodo Provinciali cum aliis interesse, salvis suis Privilegiis in reliquis, juxta Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 2. *de Reform.* Eligere vero potest Episcopus, vel Archiepiscopus exemptus non obstante contradictione Cleri sui: & electio per eum facta obligat successores. Zerola *V. Conciliorum* 5. 3. *Ex Congregat. Card. Trident. Interp.* Capitula Ecclesiarum Cathedralium invitanda sunt, non cogenda, Abbas in *cap. ult. in fin. de his, que sunt à Prælat. sine cons. cap. tamen.* Qui loco Cathedralium comparere, non habere auctoritatem definiti, tradit ibidem Abbas. Quæ autem tractanda sint in synodis Provincialibus, refert Azorius *Instit. moral. part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 47.

Ad Concilia Provincialia revocari possunt ea, quæ Legatus à latere, vel alius ex speciali mandato suæ legationis celebrat cum Metropolitanis, & aliis Clericis Provinciae, aut Provinciarum, intra terminos suæ legationis contentarum, juxta notata in *cap. ultim. inf. de Officio deleg. cap.* 2. *cod. in* 6. Nam & hæc Provincialia dicuntur à Provincia, quæ habere debet unum Archiepiscopum, & decem, aut undecim Episcopos *can. Societate quæst.* 3. Quinimo Gratianus Nationalia, quæ tamen à Provincialibus distinguuntur, in *can. Regula*, 5. *parto*, *dist.* 3. vocat Provincialia, & sub Provincialibus comprehendit: quia certis Provinciis continentur, nec ad omnes Christianos, ut vere Universalia, pertinent.

8. Episcopalia sunt, quæ ab Episcopis inter suæ diocesis Clericos, & Abbates indicuntur, *can. Quando distinct.* 38. *canon. Placuit XII. quæst.* 2. *canon. Abbates XVII. quæst.* 2. Vel Sede vacante à Capitulo Cathedralis Ecclesiæ. Honor. in *Summa decretal. ad tit. de Constitut. num.* 7. Et quidem celebrari ea quotannis debent, *can. Quoniam*, *can. Annis singulis, dist.* 18. *Concil. Trident. sess.* 24. *cap.* 2. 5. *fin. de Reform.* Nisi Episcopus iusto impedimento detineatur: quo casu alium, in dignitate Ecclesiastica constitutum, puta procuratorem, aut Vicarium suum Generalem, de-

putare potest, qui loco ipsius synodum celebret, & ei præsit, *canon. Episcopus d. dist.* 18. Si vero alias celebrare neglexerit, poenam suspensionis per duos menses sustinere debet, *canon. ult. juncta Glossa in V. Excommunicationis distinct.* 18.

Modus celebrandi est ut omnes, qui interesse tenentur, moneantur de synodo tali loco, & tempore celebranda. Sufficitque unica monitio, licet in judicialibus trina requiratur. Glossa in *d. canon. Si Episcopus*. Et ad hæc Concilia etiam exempti omnes, qui alias cessante exemptione interesse deberent, nec capitulis Generalibus subduntur, accedere tenentur, secundum Concilium Trident. *d. loco. Azorius d. cap.* 47. *quæst.* 3. Horum vero Conciliorum (quæ magis proprie synodi, quam Concilia vocantur, ut patet ex *cap. Sicut olim*, 5. 1. *in fin. de Accus.*) Statuti neque subditi extra diocesim, neque ignorantes, nisi ignorantia sit supina, ligantur, ideoque ea suis subditis nota facere non omittat Episcopus.

Episcopalia Concilia addi possunt Concilia, seu Congregationes, quas ineunt alicujus Ordinis Monachi, aut Religiosæ personæ, ex superiorum suorum auctoritate, de quibus in *cap. eaque in fin. de Statu Monachorum.*

9. Distinguuntur Concilia Particularia ab Universalibus, quod Universalia vim definiendi habent; & omnes Christianifideles constringunt, *can. 1. 5. 1. dist.* 15. *cap.* 5. *in fin. de Cons. & similibus, leg. Nemo 4. Cod. de Summa Trinitate*, *Concil. Florent. in unione Armenor.* Particularia vero non habent vim definiendi, sed solum procurandi, ut quod alias, sive generaliter, sive specialiter statutum est, observetur. Similiter non omnes constringunt, sed tantum subditos, quamdiu in Regno, vel diocesi morantur, juxta *cap. 2. de Cons. in 6. leg. fin. D. de Jurisdict. omnium Judic.* Ubi dicitur, quod extra territorium jus dicenti impune non pareatur. Hoc tamen discrimen intelligendum est de iis Particularibus Conciliis, quæ non sunt Universalia quoad auctoritatem, id est, quæ neque sunt à Summo Pontifice generaliter ad constringendos omnes Christianifideles approbata, neque in corpus Canonicum relata, ut videre licet in *cap. 2. in fin. de Electorib. cap. Ne Episcopi in fin. de Temp. ord. cap. 1. in fin. de Filiis Presbyt. & alibi.*

Nam quæ à Summo Pontifice generaliter comprobata sunt, proinde obligant omnes Christianifideles, atque si ab ipsomet convocata, & celebrata essent, juxta vulgatum illud: *Nostra facimus, quibus auctoritatem nostram impertimur.* Plurima autem Concilia Particularia, ordine Alphabetico recensita, videre licet apud Boerium, *lib.* 2. *de Jure sacro à num.* 150. *usque ad num.* 157. *inclusivè.*

CAPUT II.

Questiones.

QUÆRES I:

Quanam sint Concilia Generalia approbata.

Respondeo. Sunt decem, & octo. Primum est Nicanum, quod celebratum est ab anno 327. usque ad annum 330. qui fuit annus 15. Sylvestri Papæ, & 20. Constantini Imperat. In hoc Concilio convenerunt Episcopi 318. Et duæ potissimum controversiæ definitæ sunt. Una de die Paschatis, ut die Dominico post quartadecimam Lunam Martii celebraretur. Altera de Divinitate Christi, & cum Patre æqualitate adversus Arianorum hæresim.

Secunda Synodus est Constantinopolitana, celebrata anno 381. adversus Macedonium, negantem Spiritus-Sancti Divinitatem: Theodosio seniore Imper. ac Damaso Summo Pontifice. Ad quam convenerunt Episcopi 150.

Tertia Synodus est Ephesina 1. quæ coacta est anno 431. Theodosio Juniore Imperat. & Cælestino I. Summo Pontifice: ad quam convenerunt Episcopi 200. In hac Synodo Cyrillus Alexandrinus locum Romani Pontificis obtinuit. Causa Concilii fuit Nestorii Episcopi Constantinopolitani nova hæresis, quæ Christum in duas personas dividebat.

Quarta Synodus est Chalcedonensis, quæ anno 501. collecta est adversus hæresim Euthychetis Archimandrite, qui unam tantum naturam in Christo asserabat post Incarnationem. Acta verò est hæc Synodus Leone I. Summo Pontifice, & Marciano Augusto. Adhuc erant in ea 630. Episcopi.

Quinta Synodus Generalis fuit Constantinopolitana II. habita anno 553. imperante Justiniano Imperatore: ad quam convenerunt 165. Episcopi præfuitque Vigilii Papæ nomine Eutychius Patriarcha Constantinopolitanus. In ea præter damnationem Origenis, ejusque scriptorum, tria capitula in Concilio Chalcedonensi non reprobata, damnata fuere.

Sexta Synodus Generalis fuit Constantinopolitana III. celebrata anno 680. cui 289. Episcopi interfuerunt, 4. Agathonis Papæ Legati, ipseque, ut defensor, Constantinus Pogonotus Imperator. Hæresis Monothelitarum, seu unam tantum in Christo voluntantem asserentium in ea damnata fuit.

Septima Synodus fuit Nicæna II. anno 787. sub Adriano Papa, & Constantino Imperat. Celebrata ab Episcopis 350. presidentibus Legatis Romani Pontificis. Coacta fuit Synodus adversus Iconomachos, qui Sacras Christi, & Sanctorum Imagines omni honore spoliabant.

Octava Synodus est Constantinopolitana IV.

quæ celebrata est anno 889. Adriano II. Summo Pontifice, & Basilio Augusto. Convenerunt Episcopi 383. adversus Photium intrusum, qui depositus, & Ignatius antea injustè depositus restituitur: Imaginibus honor redditus.

Nonum Concilium est Lateranense I. Episcoporum 300. & amplius, anno 1123. tempore Saracenos pro recuperanda Terra Sancta tempore Calixti II. & Henrici V. Imper.

Decimum est Lateranense II. Episcoporum mille anno 1135. contra Antipapas, & pro Jure Cleri tempore Innocentii II. & Lotharii Imper.

Undecimum est Lateranense III. Episcoporum ferè 300. pro reformatione Ecclesiæ, & contra Waldenses anno 1179. temporis Alexandri III. & Friderici Imperat.

Duodecimum est Lateranense IV. Patrum 1283. anno 1215. contra varias hæreses, & pro Terra Sancta recuperanda tempore Innocentii III. & Friderici Imperat.

Tertium decimum est Lugdunense I. anno 1245. contra Imperatorem Fridericum, & pro Terra Sancta recuperanda tempore Innocentii IV.

Quartum decimum est Lugdunense II. Patrum ferè mille contra errorem Græcorum tempore Gregorii Decimi, & Rodulphi Imperatoris anno 1274.

Quintum decimum est Viennense anno 1311. Episcoporum 300. contra varias hæreses tempore Clementis V. & Henrici VIII. Imperat.

Sextum decimum est Florentinum anno 1438. Patrum 141. contra errores Græcorum, tempore Eugenii IV. & Alberti Imperat.

Decimum septimum est Lateranense V. anno 1517. Patrum 114. contra schismata, & pro variis negotiis tempore Julii II. & Leonis X. & Maximiliani Imperat.

Decimum octavum est Tridentinum, anno 1545. inchoatum, 1563. absolutum. Coacta fuit hæc Synodus contra hæreses Luteranorum, & pro Ecclesiæ reformatione, tempore Pauli III. Julii III. ad Pii IV. & Caroli V. ac Ferdinandi Imperat.

QUÆRES II:

Quanam sint Generalia Concilia Reprobata.

Respondeo sunt septem. Primum est Antiochenum, anno 345. anno 5. Constantii Imperat. in quo damnatus est Athanasius, & via patrefacta ad eversivum Concilium Nicanum.

Secundum est Mediolanense, Episcoporum plusquam 300. anno 354. tempore ejusdem Constantii, in quo etiam fides Catholica damnata est.

Tertium est Ariminense Episcoporum 600. sub eodem Constantino, anno 363. in quo sublatum est de symbolo nomen consubstantialitatem.

Quartum est Ephesium II. tempore Theodosii Junioris, anno 459. in quo facione Dioscori

ocessus est S. Flavianus Episcopus Constantinopolitanus, & Legati Romani Pontificis Leonis fugati; ac demum hæresis Eutychiana confirmata.

Quintum est Concilium Constantinopolitanum sub Leone Isairo contra Sacras Imagines, anno 728. qui fuit 13. Imperatorum ejusdem. Interfuit huic Sanctus Germanus Patriarcha, qui, quia non concessit à sua Sede Constantinopolitana dejectus est.

Sextum est Concilium Constantinopolitanum sub Leone Copronimo, anno 754. Convenerunt Episcopi 338. Sed nullus adfuit Patriarcha, excepto Pseudo Episcopo Constantinopolitano. Definitum est in hoc Concilio abolendas esse Christi, & Sanctorum Imagines. Reprobatum est hoc Concilium in VII. Synodo, art. 6.

Septimum est Concilium Pisianum, anno 1511. congregatum ab Imperatore, & Rege Galliæ, & aliquot Cardinalibus contra Julium III. Papam. Reprobatum est paulo post in Concilio Lateranensi sub Julio III. sess. 2. & 3.

QUÆRES III:

Quanam sint Concilia partim Approbata, & partim Reprobata.

Respondeo sunt sex. Primum Sardicense Episcoporum 376. anno Domini 347. tempore Constantii Imper. & Julii I. Papæ ex quibus 300. Episcopi Occidentales fidem Catholicam confirmarunt, quam exposuit Hilarius in lib. de Synodis: reliqui 76. Episcopi Orientales fidem Arianam scripserunt.

Secundum est Concilium Syriacense, quod celebratum est annis quinque post Sardicense, hoc est anno Domini 356. Liberio Summo Pontifice, & Constantino Imper. In hoc enim Concilio duæ Formule fidei dissentientes inter se editæ sunt.

Tertium est Concilium Quinisextum anno 692. celebratum, in quo continentur Canones Trullani, qui partim sunt reprobat, quia sine ulla auctoritate Summi Pontificis id fecerunt, & apertè Sergius Papa, qui tunc vivebat, reprobat hanc hæreticam Synodum, partim sunt Approbat, quia etiam Canones illi ex se nullam vim habeant, aliqui tamen postea probati sunt à Pontifice, aut aliis legitimis Conciliis, qualis est *Can. 82.* De pingendis Imaginibus, receptus ab Adriano Papa & VIII. Synodo.

Quartum est Concilium Francofordiense, quod celebratum est anno 792. Adriano I. Pontifice, & Carolo Magno Francorum Rege. Hoc Concilium ab Adriano confirmatum fuit, quantum ad eam partem, in qua definitur, Christum non esse Filium Dei adoptivum, & ab eodem reprobat, quantum ad alteram partem, in qua ex errore damnatur VII. Synodus.

Quintum est Concilium Constantiense Patrum

ferè mille, quod quidem quantum ad primas sessiones, ubi definit Concilium esse supra Papam, reprobatur in Concilio Florentino, & Lateranensi ultimo: quantum verò ad ultimas sessiones, & ea omnia, quæ probavit V. ab omnibus Catholicis recipitur.

Sextum est Concilium Basileense, cujus nihil est ratum, & probatum, nisi quædam dispositiones circa beneficia, quæ à Concilio factæ fuerant, quas pacis, & unitatis gratia Nicolaus Papa approbavit. Concilium verò ipsum reprobatur in Concilio Lateranensi ultimo sess. 2.

QUÆRES IV:

Quanam sint Concilia dubia.

Respondeo: est potissimè Concilium Pisianum, anno 1409. celebratum, quod non est manifestè nec probatum, nec reprobatum; nam ex una parte depositis Gregorio XII. & Benedicto XIII. elegit Alexandrum V. qui inter veros Pontifices numeratur: ex altera verò Sanctus Antonianus 3. part. rit. 22. cap. 5. §. 2. & 3. asserit, ipsum esse conciliabulum ad schisma tollendum; & tamen illud non sustulit, sed auxit, si verò absolutè fuisset reprobatum, utique Alexander VI. non sextum, sed quintum appellasset.

QUÆRES V:

Quid præcipue sit norandum circa Concilia universalis ante Tridentinum celebrata.

Respondeo: In Concilio Nicæno damnata fuit Hæresis Arij negantis Divinitatem Verbo, id est secundæ personæ Sanctissimæ Trinitatis, editumque consequenter symbolum Fidei, quod recitatur à Sacerdotibus in Missa, & in eo posita illa verba *consubstantialitatem Patri*, cum Arij blasphemando asserant, Filium Dei non ejusdem esse cum Patre substantiæ, sed tantummodo similis, statutum est quoque inter alia, quod non debeat in Ecclesia Catholica celebrari Pascha eo tempore, quo ab Hebræis celebratur, nempe die quartadecima Lunæ primæ mensis.

In Constantinopolitano damnata fuit Hæresis Macedonii, qui Spiritui Paracleti Divinitatem negabat: unde ad Symbolum Nicænum addita sunt ea, quæ ad Spiritus Sancti Divinitatem spectant: in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem ex Patre procedentem, cum Patre, & Filio simul adorandum, & Conglorificandum, qui locutus est per Prophetas, quæ Patres Nicænae Synodi minime expresserunt, quod tunc exorta non fuerat hæresis, quæ Spiritus Sancti Divinitatem negabat. Sunt editi Canones septem.

Concilium illud quidem laudem meruit in de-